

Ruyher:
Genuina
jurium
naturae; gen
tium ac ci vi
tium princi
pia.



15.
16.
SAMVELIS REYHERI, JC.

ET ANTECESSORIS,
In illustri CHRISTIAN - ALBERTINA
Codicis & Mathematum Professoris, Juridicæ
Facult. h. t. IX. DECANI, &c.

GENVINA

JVRIVM

NATURÆ, GENTIUM ac CIVILIUM
PRINCIPIA,

Ex lympidissimis Verbi Divini fonti-
bus, ac Vasti Juris Romani Oceano,
ejusque Interpretibus derivata,

nec non
Ex Philosophorum, Poëtarum ac
Historicorum monumentis
illustrata,

Quibus accedunt
aliqua
De Aequitate, Juris Positivi divisione, Juribus ante lapsum
& post lapsum, ante diluvium latis, unà cum
VII. Præceptis Noachicis.

KILLÆ, Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.
Anno dñi 1560.



SAMAELES REYHERI IC.

ET ANTICRASSORIS

IN LIBERI CHRISTIANI ALBERTINA

CASSICIS & MATHIASIUM PROFESSORIS, IUNIPIUS

HABENT P.C. IX. DECIMI. 8C.

GARNIKA

MARIV

NATURÆ, GINTIONI AC CIVITATUM

PRINCIPIA

EX TYPICIS VENETIIS AELPI DIVINI IOUTI

PAS AC VENETIIS IN ROMANIS OCEANO

CLAVDII PEGNAEUS GENIVENSIS

EX PEGNAEUS GENIVENSIS POETATEM SC

HISTORICORUM MONUMENTIS



ILLUSTRATA

Quidam necessaria

slipsa


DE VERGILIO, JUVITIUS, POLYBIUS, QVINTILIO, JUVITIUS, QVINTILIO, DE VERGILIO,

ET BOYUS, ISOPHUS, EURIPIDES, SENECA, ISOPHUS, EURIPIDES, SENECA,

ALIUS PLATONIS HOGAQUINUS

KUTTA, FELIX, PASTORIS, RUSTICORUM, ACADEMI, TACITUS,

VIRGILII, DIOCLETIANI





PROOEMIUM.

Historiam seu Ortum & Incrementa Juris, non jucunditas tantum & utilitas commendant, sed & necessitas efflagitat. Hinc J^Cti, qui jussu Justiniani Imperatoris veterem Jurisprudentiam in ordinem redegerunt, peculiarem de Origine Juris titulum adjecerunt, ubi tamen Juris solummodo Romani natales, & usque ad Edictum perpetuum, tempore Hadriani à Juliano compositum, progressus exposuerunt.

Dionysius Gothofredus quoque majori Pandectarum editioni præmisit historiam Juris à Justiniano compositi, quæ aliquas laudati Imperatoris constitutiones continet, nempe

- (I) *De novo Codice faciendo.*
- (II) *De Justinianeo Codice confirmando.*
- (III) *Constitutionem Deo auctore; de conceptione Digestorum ad Tribonianum.*
- (IV) *De Confirmatione Institutionum ad cupidam Legum Juventutem.*
- (V) *Constitut. Tanta: de Confirmatione Digestorum ad Senatum & omnes populos.*
- (VI) *Constit. Dedit nobis Deus, de Confirmatione Digestorum ad magnum Senatum,*

A

(VII.)

(VII) De Ratione & Methodo Juris docendi, ad Antecessores.

(VIII) De Emendatione Codicis D. Justiniani, & secunda ejus editione, ad Senatum Urbis Constantinopolitanae.

(IX) Titulum ff. de Origine Juris & omnium magistratum & Successione Prudentum.

Nos vero universi Juris historiam ab ovo quasi repetere, & ex variis, tam sacris, quam profanis scriptoribus collectam, nunc adornare operæ pretium esse duximus.

CAPUT. I.

De Variis Juris divisionibus

Et inspecie,

De Jure Naturæ.

§. I.

QUAMVIS humanum genus absque legibus & Jure subsistere nequeat, atamen non solum Veteres nonnulli Philosophi, humanam societatem sine legibus consistere posse, sed etiam recentiores aliqui, ante lapsum Protoplastorum nullam fuisse legem, statuerunt. Pyrrhonii, à Pyrrhone Eliensi orti s. Sceptici, Diogene Laërtio teste, falso putarunt, leges non esse necessarias; Illarum opinionem ita describit Laërtius: οὐδὲ γὰρ ἐφασκεν, οὐδὲ καλὸν, οὐδὲ ἀνορτὸν, οὐδὲ δίκαιον, οὐδὲ ἄδικον, καὶ ὅμοιως ἐπὶ πάντων μηδὲν εἴναται ἀληθεῖον, νόμῳ δέ καὶ ἐθεῖ πάντα τὰς ἀνθρώπους πεύττειν. οὐ γὰρ μᾶλλον, η τοῦδε ἔναι ἵπατον. i. e. Negabant

DE JURE NATURA.

bant quicquam turpe esse, ac honestum, justum aut injustum, eadem ratione in omnibus nihil verè esse, cetera legge atque consuetudine cuncta homines facere, neque enim esse quicquam illud potius, quam istud.

§. 2. Hæretici nonnulli, nempe Pelagiani, Sociniani, Spinoza, nec non ejus refutator Cuperus, aliique similes, legem ante lapsum Parentum fuisse negant, quos tamen Dn. Simon. Henr. Musæus in *Tract. de Vindictis Juris Naturæ & Paradisi* egregie refutavit.

§. 3. Interim tamen nos per impossibile singimus, statum aliquem sine omni lege fuisse. Posito itaque nullam fuisse legem, homines absolutam quidvis agendi potestatem habuisse, sequeretur: quo respiceret etiam videtur Apostolus Paulus *Rom. IV. 15.* Ubi, *inquietus*, nulla lex, ibi nulla transgressio, & *cap. V. 13.* Peccatum non imputatur, cum lex non est. Eiusmodi Exlex describitur à Terentio:

quem neque pudet
Quicquam, neque metuit quenquam, neque legem putat
Tenere se ullam.

§. 4. Cum autem Supremum, idque Sanctissimum Numen Jura quædam hominum cordibus ita inscriperit, ut à nemine evelli queant, teste Moysè *Deut. XXXI. 14.* & Apostolo *Rom. II. 15.* hinc non tantum libertas antea absoluta, & ex hypothesi facta, in primo gradu per Jus Naturæ fuit limitata, & ex hoc Jure Naturali, cuius præcipua sunt capita: *Deum colere* &, quæ hinc sequuntur, *Deum timere*, *Deo Creatori obedire*, tanquam ex perenni fonte alia quoque promanarunt jura; unde merito jus dividi potest, in PRIMUM & ORTUM, vel cum Ari-

sto ele. Lib. V. cap. 7. Ethicor. in Naturale & Legitimum.

§. 5. Primum itaque Jus est Naturale, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes peraeque gentes custoditur, §. 1. Inst. de J. N. G. & Civil.

§. 6. Cicero lib. I. de Legg. Cap. III. definit ita: *Lex (i. e. Jus naturæ) est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria, & paulo post: Lex est naturæ vis, ea mens, ratioque Prudentum, ea juris atque injurie regula.* Idem Cicero Lib. II. de Legg. Sapientissimorum fuit sententia, Legem neque hominum ingenii excoxitatam, neque scitum esse aliquod populorum sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Nec immerito etiam Demosthenes, teste Martiano in L. 2. ff. de Legg. Legem vocat inventum & munus Dei, & Proverb. IIX. 15. Sapientia Divina ita loquitur: *Per me Reges regnant, & Legum conditores decernunt jura.*

§. 7. Aliqui statuunt, primum Juris Naturæ caput esse conservationem proprii Status, sc. sui ipsius; unde fluit, hominem ante omnia colere debere Deum, qui ipsum creavit, ne offensus Creator iterum destruat ipsum.

§. 8 Præcepta hujus juris secundum Ulpianum L. 10. §. 1. ff. de Just. & Jur. & §. 3. Inst. de Justit & Jur. sunt: HONESTE VIVERE, ALTERUM NON LÆDERE, SUUM CUIQUE TRIBUERE.

§. 9. Salvator noster semper benedictus Matth. VII. 12. & Luc. VI. 31. Jus naturæ per hanc regulam exprimit; Quaecunque vultis, ut vobis faciant homines, ita & vos facite illis. Hæc enim Lex & Prophetæ. Huic æquipollit istud Alexandri Severi apud Lampridium. *Quod tibi non*

DE JURE NATURÆ.

non vñ, alteri ne feceris. Hoc dictum autem procul dubio
ethnicus Princeps à Christianis didicit.

§. 10. Idem noster Salvator sapientissimus *Matth.*
XXII. 37. Phariseis, quænam sit præcipua Lex? sciscitan-
tibus respondet; *Deum super omnia, & ex toto corde dili-
gendum, ac proximum, sicut se ipsum, amandum esse.* Apo-
stolus Jacobus in sua epistola *cap. II. 8.* Dilectionem appellat
Nómen βασιλίου, Regiam Legem. Apostolus Paulus quoque
1. Cor. XIII. amorem omnium Virtutum præstantis-
simum esse judicat, nec immerito. DEUS enim est
ipse AMOR *1. Job. IV. 8.* & propter amorem homi-
nem secundum imaginem suam creavit, *Gen. I. 27.* Hinc
necessariò quoque amor in ipso homine esse debet, quo
non tantum Creatorem suum, sed hominem quoque, ad
imaginem Dei factum, prosequi debet, *1. Job. IV. 11.* Quia
enim nemo hominum vidit Deum, ideo imaginem Dei
amare tenemur. Quicunque ergo, proximum amat, in eo
manet Deus. Et. *vers. 21.* hoc mandatum habemus, ut, qui
diligit Deum, diligat & fratrem suum. Apostolus Paulus
Rom. XIII. 9. scribit: Non adulterabis, non occides, non
furtum facies, falsum testimonium non perhibeas, non
concupisces, comprehenduntur sub hoc unico præcepto,
proximum tuum, sicut te ipsum, diligito: & *Galat. V. 14.*
Omnis enim Lex, inquit, in uno sermone impletur, di-
liges proximum tuum, sicut te ipsum. *add. Lev. XII. 18, 34.*

§. 11. Confutius, Sinensium Philosophus, qui 73.
annos vixit, & 478. annos ante natum Salvatorem obiit,
dixisse fertur: Obsequium præstate Cœlo, obedite Magi-
stratui, & diligite proximum, sicut vos ipsos. *Louys le*
Comte P. I. epist. pen. p. 290.

§. 12. Ex hoc amore oritur communicatio omnium
bono-

bonorum. Si ergo homines in integritate sua persistissent, nullum aliud jus, nisi naturale locum habuisset, & homines fructus, quos terra sponte produxisset, pro lumen decerpere, illisque uti potuissent: Non tamen omnia fuissent communia, quia aliquæ res communicationem respuunt, e. g. uxores non fuissent communes, quia uxor & maritus sunt una caro: Ita quoque cibus, quem quis manducare cœpit, communicationem respuit, *vid. H. Grotium de J. B. & P. Lib. II. cap. 2. n. 3*

§. 13. Nihilominus tamen homines laborare debuissent, quia expressè legimus, Adamum à Deo in hortum fuisse immisum, ut illum coleret. Laborassent autem homines sine molestia, nec aliis fructus, à se productos, invidissent. Nemo enim sibi soli, sed semper proximo quoque prodesse voluisset, & alterum alter in laboribus suis adjuvasset.

§. 14. Hūc spectant, quæ Ovidius in sua *Metamorphosi fabula III. de Seculo aureo* canit:

*Aurea prima sata est ætas, que vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant, nec vincla minacia collo-
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.
Non dum præcipites cingebant oppida fossa,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,
Contentique cibis nullo cogente creatis,*

Arbo-

*Arboreos fætus, montanaque fraga legebant,
Cornaque & in duris berentia mora rubetis,
Et que deciderant patula Jovis arbore glandes.*

CAP. II.

De Jure Gentium Generali.

§. 1.

ORUM jus porrò varias subdivisiones admittit, & primo quidem loco occurrit, Jus Gentium generale, quod Pacius *Select. L. I. cap. 2.* Jus Naturale secundarium vocat, cœpitque post lapsum Protoplastorum, &c libertatem jure naturali relictam in secundo quasi gradu limitat.

§. 2. Quia enim justo Dei judicio propter primum peccatum terræ maledictum est, ut ab eo tempore non, nisi gravi labore culta, fructus imposterum proferret, hinc orta est rerum divisio, & distincta sunt agrorum dominia, quam distinctionem Deus non tantum approbavit, sed peculiaribus etiam legibus munivit, dum iis qui vicinorum limites violant, maledicit *Deut. XXVII. 17.* Quilibet ergo, ut necessaria alimenta procuraret, agrum aliquem coluit, vel vineas adornavit, vel pecora pascere, aut etiam hortos plantare cœpit. Si autem quis mutato hoc statu rerum ex alterius agro fructus decerpere, aut alterius vaccas vel oves mulgere ausus esset, eo ipso contra jus naturæ peccasset; interim alium agrum à nemine hactenus occupatum apprehendere & colore, ac fructus ejus acquirere ipsi integrum erat.

§. 3. Hoc modo primitus dominia rerum distincta
fue-

fuerunt introducta, & hinc Cain fuit agricola, Abel verò pastor ovium, vel Opilio. *Gen. IV.* Cum ergo quis de frumentis alterius aliquid desideraret, de suis vicissim quid alteri reddere debebat, & hinc originem duxit PERMUTATIO; cuius inventionem Sinenses Regi suo SUIO adscribunt. *Niehoff. Itin. Sin. p. 385.* Permutatio autem propriè, nisi aliud quid accedat, contractus esse non videtur.

§. 4. Cum autem facile accidere poterat, ut aliquis vino opus haberet, illudque à frumentum & vinum possidente peteret, nec tamen, quod pro vino offerret, haberet, ideo permutationi locus non erat; interim tamen hac aliquid obtinebat conditione, ut post tempus aliquod aliud quid redderet, & hinc contractus innominatus, DO, UT DES, natus est.

§. 5. Si verò quis alimenta desiderabat, nec habebat, quod daret, panem, vinum, vel aliud quid ea conditione impetrabat, ut postea operis & laboribus suis compensaret: hinc secundus Articulus, DO, UT FACIAS, originem habuit.

§. 6. Cum porrò quis opera & auxilio vicini opus haberet, ut scil. ipsum in agro colendo, vel pecoribus paucandis juvaret, factum illud obligationem produxit, indeque tertius articulus, FACIO, UT DES, ortus est.

§. 7. Denique is, qui solus agrum suum vincere non poterat, vicini auxilium imploravit, & vel equum aut bovem aliudque jumentum petiit, promittens se vicino suo simili modo assistere velle, qui contractus ad quartum Articulum, FACIO, UT FACIAS, referri potest, vid. *L. 7. §. 2. ff. de Pact. & L. 5. ff. de Prescr. Verb.*

§. 8. Hinc apparent, ex Jure hoc Gentium, ob rerum

rum & dominiorum divisionem, omnes penè contractus introductos esse, §. 2. *Inst. de J. N. G. & C.* Et quidem (1) *Permutationem*, quæ tamen propriè non est contractus, nisi aliud quid concurrat, (2) *Contractus innominatos*, quorum duo per dationem, seu rem datam, nempe *Do, ut des*; *Do, ut facias*, reliqui duo per factum aliquod, nempe *Facio, ut des*; *Facio, ut facias*, efficacem producunt obligationem.

§. 9. Ex Jure hoc Gentium generali porrò orti sunt contractus consensuales. Nam cum aliqui reliquiditiores simul agros, vineas, pascua, pecora, piscinas, frumenta, vina, poma &c. possiderent, alius vero non nisi vinum haberet, ac frumentum desideraret, ac propterea alteri vinum pro frumento offerebat, repulsam tulit, quia alter vini copia abundabat. Aliud igitur medium quærendum, & pecunia vel aurea vel argentea vel ænea comparanda erat, qua frumentum emere posset. Hoc modo igitur *emptio* & *venditio* frequentari cœpit, dum introductus est usus nummi, beneficio cuius omnia comparare possumus; nec non *Locatio* *conduetio*.

§. 10. Insuper reliqui Contractus reales, & quidem præcipue *mutuum*, invaluit, cui accesserunt quoque *commodatum*, *depositum* & *pignus*. Effectus hujus Juris gentium etiam esse videtur aliquod *Jus Postliminii*, quod in pace datum est. L. 5. §. 2. ff. *de Capt.* & *de Postlim.* Nam si cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospitium, neque foedus amicitiae caussa factam habemus; hi hostes quidem non sunt; quod autem ex nostro ad illos pervenit, illorum fit, & liber homo noster ab eis captus, ser-

vus sit eorum. Unde simul patet, Servitutem aliquam jure gentium generali quoque introductam fuisse.

§. 11. Effectus hujus Juris gentium generalis eleganter Ovidius quoque depingit, sub specie ætatis argenteæ *Lib. I. Metam. Fab. IV.* his verbis:

*Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & juncta cortice virgæ,
Semina tum primum longis Cerealia fulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.*

Et Fab. V.

*Communemque prius, ceu lumina Solis & aure,
Cautus humum longo signavit limite mensor.*

§. 12. Licet autem jure hogentium libertas hominum naturalis valde limitata sit, nihilominus tamen Juris naturæ simplicissimi reliquiæ inveniuntur, *Deut. XXIII. 24*. Ubi libertas decerpendi & comedendi uvas ex aliena vinea cuilibet conceditur, hac tamen lege, ne uvas, quas comedere non potuit, in peram abscondat, & inde auferat: Unde adhuc in Franconia & regionibus Rhenanis cuilibet vineam transeunti conceditur ingressus & esus uvarum. Ita quoque annis Sabbathicis apud Israëlitas omnia communia erant, *Lev. XXV. 5. 6. & 12.*

§. 13. Ejusdem Juris primi aliquavestigia quoque habentur in societatibus omnium bonorum.

CAPUT. III.

De Jure Civili generali.

§. 1.

Tertio gradu libertas hominum restringitur per Jus Civile generale seu provinciale (*Land-Recht*), cum nimis

mirum

mirum aliqui homines majoris commoditatis gratia Societatem inierunt, & Civitatem, quæ sine legibus Civilibus consistere non poterat, jus sibi constituerunt, §. 1.
Inst. de Jur. N. G. & C. Idque neque in totum à Naturali vel Gentium recedit, nec per omnia ei servit, sed aliquid addit, vel detrahit. *l. 6. ff. de Justit. & Jur.*

§. 2. Ante omnia autem constituerunt sibi Jus Publicum i. e. uni, vel aliquibus regnantibus potestatem & facultatem concederunt, cui, vel quibus consiliarios & ministros adjunxerunt, ferendique leges & jura privata introducendi, potestatem ipsi, vel ipsis concederunt.

§. 3. Jus publicum juxta Ciceronem *Lib. 1. de Orat.* dicitur, quod proprium Civitatis & Imperii est, & regendæ Reipubl. ratio. Vel secundum Justinianum §. ult. *Inst. de Just. & Jur.* est; quod ad Statum Reipubl. Romanæ spectat. Hinc idem Imperator §. 11. *Inst. de Rer. Div.* in fine scribit: Civilia jura tunc esse cœperunt, cum civitates condi, Magistratus creari, & Leges scribi cœperunt.

§. 4. Constitutis hoc modo Magistratibus, nemini, qui ab alio læsus erat, amplius propriam vindictam exercere concessum erat, §. 1. *Inst. de Vi bon. rapt.* sed magistratus auxilium implorare debebat, qui causa cognita judicabat, & liti per sententiam finem imponebat; Facinorosos vero vel mulcta, vel carcere, vel fustigatio-ne, vel relegatione, & interdum, pro re nata, morte puniebat.

§. 5. Primam civitatem condidisse legimus Cainum. *Gen. IV. 12.* Post diluvium vero in Asia prima regna fundaverunt Nimrod. *Gen. X. 8.* & Assur, *v. II.* In Europa au-

tem, & quidem in Italia instituit regnum Romanum
Romulus L. 2. §. 2. & 3. ff. de Orig. Juris.

CAP. IV.

De Jure Gentium speciali
five Feciali.

§. I.

Jus Gentium speciale five Feciale tum demum ortum esse videtur, cum diversa regna, sibi invicem non subordinata, prodierunt, quorum controversiae, non nisi Naturali aut Gentium jure generali poterant decidi. Describitur autem à Justiniano in §. 2. *Instit. de J.N.G. & C. per jus, quod usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes quædam sibi constituerunt.*

§. 2. Detrectante ergo altera parte illatum damnum, vel injuriam debite compensare, pars læsa vi armisque jus suum persequi coacta est: Unde novum jus, nempe Gentium speciale, ortum est, quod non incommodè Feciale vocamus, & huic à Justiniano §. 2. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civ. adscribitur origo belli, nec non eorum, quæ ex bello oriuntur, quando, dicto loco, dicit: Bella enim orta sunt, & captivitates secutæ, & servitutes, quæ sunt naturali juri contrariae. Jure enim Naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur.*

§. 3. Huc quadrant, quæ Ovidius *Lib. I. Metam. fab. V.* de ætate ahenea & ferrea scripsit:

*Tertia post illam successit ahenea proles,
Sævior ingenis & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen: De duro est ultima ferro*

Pro-

*Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas. Fugere pudor, verumque, fidesque.
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiaeque, & vis, & amor sceleratus habendi.*

Et paulo post:

*Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto, non hostes ab hostite tutus,
Nec sacer à genero, fratribus quoque gratia rara est.*

§. 4. Jus hoc Fecciale sive Gentium speciale, posterius est jure Civili ; differt à Jure gentium generali, utpote quod jus Civile antecedit. Differt quoque à Jure Naturali. Jure naturæ enim ante lapsum omnia erant, & etiam mansissent communia, nisi Protoplasti nostri peccassent. Jure gentium generali vero distincta rerum dominia sunt introducta.

§. 5. Jus Gentium generale varios quoque invenit contractus, qui ante lapsum, dominante solo jure Naturali, nullum habebant locum. Jus gentium speciale sive feciale introduxit jura Talionis, Servitutes, Manumissiones, Inducias, Fœdera, Pacem, nec non jus Postliminii &c. quorum etiam nomina, si homines in integritate concreata perstitissent ignorata fuissent. L. 4. & 5. ff de J. & J.

§. 6. Talio est similitudo vindictæ, ut taliter patiantur quis, ut fecit, Iſid. Hispal. Origg. Lib. V. c. 27. Gell. Lib. ult. c. 1. Fefus voce Talio. Non tantum à Jure divino Exod. XXI. 23. seqq Levit. XXIV. 19. seqq Deut. XIX. 21. sed etiam in LL. XII. Tabb. approbatur, dum propter

membrum ruptum, injuriarum pœna talio erat. §. 7. *Inst. de Injur.*

§. 7. Denique Jura Naturæ sunt immutabilia, quia divina quadam providentia constituta sunt. Jura gentium vero tam generale, quam speciale, mutationibus sunt obnoxia. Ita olim jus talionis obtinebat, postea vero non tantum à Romanis. *juxta §. 7. alleg.* sed etiam ab ipso Salvatore nostro *Matth. V. 38, 39.* abrogatum est, quando discipulos ita alloquitur : auditis, quod dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, ne resistatis malo, sed si quis te percuferit in d'extram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Interim tamen si quis talionis pœna afficiatur, de injuria conqueri non debet, *juxta regulam :* Ab alio expe&tes, alteri quo feceris. Quod ipse Salvator noster quoque innuere videtur *Luc. VI. 30.* eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis, & *Apocal. XIII. 10.* qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadat; Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Cui etiam respondet Edictum prætoris *in tit. ff.* Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.

§. 8. Simili modo Jure gentium speciali olim hostes capti indistinctè trucidabantur, quo respicere videtur Propheta Elifæus *II. Reg. VI. 22.* Qui Regem Israelitarum, Assyrios milites Samariam seductos, trucidare volentem ita alloquitur : Quos gladio tuo & arcu cepisti, illos occide. Hoc jus autem postea mutatum, quando gentibus plerisque, loco mortis, servitutem introducere placuit §. 1. *Inst. de Jur. Person.*

§. 9. Hinc etiam nostro tempore Reges & Principes

pes bella gerentes literis ficialibus (*Cartell*) certa comprehendunt pacta, quibus servandis se obstringunt, v. g. certa pecuniæ quantitas, quibus captos invicem redimunt; item ne transfugas recipient, sed Dominis suis defiderantibus gratis restituant.

§. 10. Sæpius tamen accidit, ut hoc quoque mutetur, dum belligerantes hostes suos captos interdum indistincte interficiunt.

§. 11. Jus fœciale dicitur, à fœcialibus, qui teste Varrone *de Ling. Lat. libr. IV.* §. 15. fidei publicæ inter populos præerant; nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum, (& inde desitum) & ut fœdere fides pacis constueretur.

§. 12. Ex his fœcialibus mittebant, antequam bellum conciperetur, qui res repeterent, & per eos etiam nunc sit *fædus*, quod *fidus*, scribit Ennius, dictum.

§. 13. Fœciales primum quietissimus & justissimus Rex NUMA instituit pacis custodes, cognitores arbitrosque causarum belli indicendi legitimarum *Plutarch. in vit. ejus. Dion. Halicarn. lib. II. & Pompon. Lat. de Sacerd. c. 9. §. 3.* Diciturque hoc Jus inter Reges & populos liberos moribus legibusque constitutum *leg. 19. princ. ff. de captiv. & postlimin.*

§. 14. Fœciali populi Romani jure belli æquitas perscripta est. *Cic. lib. I. de Offic. c. II. Adversus hostem & totum jus fœciale, & multa sunt jura communia Idem de Offic. l. 3 cap. 29. in fin.*

§. 15. Hinc non sufficit, ut jus gentium sit, observari hoc à gentibus *§ 2. Instit. de J. N. G. & C.* nisi id fiat per modum mutuae conventionis, vel expressè (per leges & pacta)

cta) vel tacite (per mores & consuetudinem) ex causa communis simul & mutuae quasi socialis utilitatis & commoditatis, quae unica est ratio constituendi juris gentium. Ziegler. de Jur. Majest. Lib. V. c. 5. thes. 5.
¶ 29.

§. 16. Hoc Jus gentium porro, non, ut Jus naturale, ex certis rationibus certo oritur, sed ex voluntate gentium modum accipit, Grot. de J. B. ¶ P. lib. II .cap. 18. §. 4. n. 2. Quod enim ex certis principiis certa argumentatione deduci non potest, & tamen ubique observatum apparet, sequitur, ut ex voluntate ortum habeat. idem in Proleg. §. 40.

§. 17. Quandocunque autem in acie stant populi; quasi pro tribunali Dei eorum aguntur causæ; hinc Romani, antequam bellum inciperent, Deos testes adocabant; quod etiam factum esse legimus à tertio Romano-rum Rege Tullo Hostilio. Jephtha quoque provocat ad Dei judicium & sententiam Domini, hodie, *inquietus*, DOMINUS nobis & Ammonitis sententiam ferat. *Judic Xl.27.*

§. 18. Ad Jus gentium, juxta Isidorum Hispalensem L. V. Orig. cap. 6. pertinent: Sedium occupatio, Aedificatio, Munitio, Bella, Captivitates, Servitutes, Postliminia, Fœdera, Paces, Induciae, Legatorum non violandorum religio, Conjugia inter alienigenas prohibita.

§. 19. Singularia de Jure Postliminii leguntur apud Ciceronem Lib. I. de Oratore circa med. Memoria fuit proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut patet patratus dedisset, ei nullum esset postliminium: Cui addi possunt, quæ supra Cap. 2. §. 10. de Ju-
re

re postliminii in pace *ex Leg. 6. §. 2. ff. de capt. & post-lim. adducta sunt.*

§. 20. His capitibus alii (*ut Seldenus de Jur. Gent.*) addunt obsides & commercia: (*item Rachelius*) occupationes rerum hostium, quæ occupantis fiunt §. 17. *Inst. de R. D. & L. 5. s. ult. ff. de A. R. D. & deditioem profugorum ob scelera, usum nummi, & manumissiones.*

§. 21. Notandum, in præcedentibus sedium occupationes, ædificationes, commercia, & usum nummi ad jus gentium referri, quae tamen non ad jus gentium speciale, sed ad generale pertinent. Auctores enim laudati unicum solummodo Jus gentium agnoscunt, & ideo capita illa promiscuè posuerunt.

§. 22. Isidorus *dict. Lib. V. cap. 7.* peculiare jus gentium describit; ad quod refert 1. belli inferendi solennitatem. 2. fœderis faciendi nexum 3. in hostem signo dato congressionem & commissionem 4. signo dato receptionem, 5. flagitiis militaris, si locus deseratur, disciplinam, 6. Stipendiorum modum 7. dignitatem, 8. præmiorum honores, veluti cum quis corona, vel torque donatur. 9. prædæ divisionem, & pro personarum qualitatibus & laboribus justam divisionem, ac 10. Principis portionem.

§. 23. Deus T. O. M. Israëlitis peculiare Jus faciale præscripsit *Deut. XX.* ubi duo præcipue capita propounderunt, quorum primum respicit ipsos Israëlitas, alterum vero hostes ipsorum.

§. 24. Prius denuò in duas partes subdividitur, dum (1.) describitur officium Sacerdotum, qui militibus in procinctu stantibus animum excitare, eosque de divino

auxilio certiores facere jubentur, deinde (2.) belli Duces & præfecti illos, qui novas exstruxerant ædes, nec inaugurerant, item qui novas plantaverant vineas, & qui sponsalia celebraverant, sponsas autem nondum domum deduxerant, denique meticulosos & timidos dimittere tenebantur. *Deut. XXIV. 5.*

§. 25. Ratione hostium sequentia observanda erant, (a) pax illis offerenda, &, ut se se dederent monendi erant; (B) si se submittebant, in clientelam recipi debebant, (γ) si pacem recusabant, obsideri, & (δ) expugnata civitate omnes masculi, ad militiam apti, trucidari, (ε) fœminæ verò, infantes & reliqua bona servari & occupari, (ξ) arboribus frugiferis parci, (η) steriles verò arbores cædi, & illarum materia propugnaculis struendis adhiberi debebant.

§. 26. Præcipui Auctores, qui de Jure gentium scripsierunt, sunt BALTHASAR AYALA Hispanus, nec non ALBERICUS GENTILIS, quorum opera præcipue usus est HUGO GROTIUS in suo opere *de J. B. & P.* de quibus ita in prolegomenis scribit: Vidi speciales libros de Belli jure, partim à Theologis scriptos, ut à FRANCISCO VICTORIA, HENRICO GORICHEMO, WILHELMO MATTHÆI, partim à Doctoribus Juris, JOHANNE LUPO, FRANCISCO ARIO, JOHANNE de LIGNANO, MARTINO LAUDENSI, sed hi omnes de uberrimo arguento paucissima dixerunt, & ita plerique, ut sine ordine, quæ Naturalis sunt Juris, quæ Divini, quæ Gentium, quæ Civilis, quæ ex Canonibus veniunt, permiscerent atq; confundarent. Quod his omnibus maximè defuit, historiarum lucem, supplere aggressi sunt, eruditissimus FABER in Seme-

Semestrium capitibus nonnullis, sed pro instituti sui iur o-
do, & testimoniis tantum allatis , diffusus ; & ut ad
definitiones aliquas exemplorum congeriem referrent,
BALTHASAR AYALA, & plus eo **ALBERICUS**
GENTILIS, cuius diligentia, sicut alios adjuvari posse
scio , & me adjutum profiteor.

§. 27. Præterea laudantur **SAM. RACHELIUS**,
qui non tantum Tractatum de Jure naturæ ac gentium
composuit , sed etiam in Otio Noviomagensi *Cap. VII.*
de hac re agit. Item **JO. SELDENUS** de *Jure Nat. & Gent.*
secundum disciplinam *Hebræorum* ; nec non Commenta-
tores Hugonis Grotii, nempe **BOECLERUS**, **ZIEGLE-**
RUS, **TESMARUS**, aliique.

§. 28. Insuper laudandus quoque **ROB. SHARROCK**
Anglus *de finibus & officiis secundum Jus naturæ*, sub quo
comprehendit jus Gentium tam Generale, quam speciale.
Huic adjungendus alter Anglus **RICHARDUS ZU-**
CHEUS, qui Jus & Judicium feciale, seu Jus Gentium,
per quæstiones explicat , & ex **BODINO** , **ARISTOTE-**
LE, **GROTIO** & **ARNISÆO** aliisque illustrat. Denique
adjungendus quoque est **PUFENDORFIUS**.

§. 29. Præter allegatos auctores etiam alii de Jure
militari scripserunt, quorum reliquiae in Pandectis re-
periuntur, nempe **PAULUS JCtus**, qui librum *singularem*
de pœnis militum composuit , ex quo desumta est *L. 14. ff. de re milit.*

§. 30. **TERTULLIANUS** reliquit librum *de Ca-*
strensi peculio, uti patet non tantum ex indice *JCtorum*
Pandectis præmisso, sed etiam ex *L. 4. ff. de Castr. Pec.*

§. 31. **ARRIUS MENANDER** scripsit *rerum mili-*
C 2 *tarium*

tarium libros 4. ut ex Indice JCtorum patet, leges ex tribus libris prioribus inveniuntur, Sub tit. ff. de re milit. nempe L. 2. 5. & 6. MACER libros duos exaravit militarium, ex quibus desumta est L. 26. ff. de testam. milit. & L. 12. ff. de re milit. & L. 13. 14. ff. de pénis.

§. 32. TARRUNTEO PATERNO militarium libri 4. assignantur in Indice JCtorum, & ipsius est L. 7. ff. de re milit. Ejus mentionem facit Macer in l. 12. §. 1. ff. eod. it. l. 6. ff. de jure immun.

§. 33. MAXIMILIANUS II. Jus militare constituit Recess. Imper. Spirens, de anno 1570. sub rubrica. Der Röm. Käyserl. Majest. und des Heil. Röm. Reichs Neuer Bestallung / item von Bestallung des Feldes erneuert Reuter - Recht / und der Deutschen Knechte Articuln/sammt Verzeichnüs etlicher anderen Puncten obermelter Bestallung und Articuln anhangig.

§. 34. Huc quoque pertinet Codex Juris Gentium diplomaticus Dn. GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII anno 1693. Hannov. editus, in quo tabulæ Authenticæ Actorum publicorum, Tractatum, &c. una cum mantissa ejusdem Codicis.

§. 35. Corpus Juris Militaris JOH. FRIDERICUS Schulz/Serenissimi Regis Borussiæ & Electoris Brandenburgici Consiliarius & Generalis Militiæ Prætor (*Auditeur*) Anno 1687. primum, deinde 1693, iterum, & Anno 1700. tertium edidit.

§. 37. In secunda editione variorum Imperatorum, Regum, Electorum, Principum & Rerum publicarum Jura militaria sequenti ordine locata reperiuntur :

1. Käyser Maximiliani I. Kriegs-Artikel.

2. : : Maximiliani II. Artikel auff die deutsche Knechte

3. Käy-

3. Käyser Maximiliani II. Reuter Bestallung.
 4. - - Ferdinandi III. Artickels Brieff.
 5. - - Leopoldi I. Artickels Brieff.
 6. Käyserlich Immediat-Völcker Verpflegungs-Ordonnanz.
 7. Königliche Franckösische Krieges Ordinance anno 1661.
 8. = = = = Verordnung de anno 1665.
 9. = = = = Verpflegungs Ordinance.
 10. Königl. Franckösisches edict wegen der duellen.
 11. Königl. Majestät zu Schweden Carl Gustavs Kriegs-Artikel mit Herr C. M. Schwarzens Anmerckungen.
 12. Königl. Majestät zu Schweden Carls des XI. Kriegs-Artikel de anno 1683.
 13. = = = = Edict von duellen.
 14. Königl. Schwedische Decisiones militares von Herrn Caspar Matth. Schwarzen herausgegeben.
 15. Königl. Maj. zu Dennemarck Christian IV. Artickels-Brieff.
 16. = = = = Christian V. Artickels-Brief.
 17. Königl. Polnische Krieges-Artikel (Lateinisch Teutsch).
 18. Churf. Durchl. zu Sachsen Johann Georgen I. Artikels-Brief.
 19. = = = = Johann Georg II. als des Ober-Sächsischen Kreyses Artickels Brief.
 20. Churf. Brandenburgisches Krieges-Recht mit Eberhard Hoyers. Anmerckungen.
 21. = = = = Edict von Duellen.
 22. = = = = Von Haltung guter disciplin
C 3 und

und Ordre &c. item wie man sich in Quartiren / billetterien, Gerichts-Sachen und sonstigen verhalten soll.

- 23. Churf. Brandenburgisches Edict vom Perdonniren.
- 24. = = = Vom Marchiren.
- 25. = = = Von Austheilung der Contributionen.
- 26. = = = Interims Ordonnanz de anno 1684.
- 27. Chur-Fürstl. Brandenb. Edict von den Marquetendern.
- 28. = = = Artillerie Ordnung.
- 29. = = = Executions Ordnung.
- 30. = = = March=Edict.
- 31. = = = Reglement der March Führen.
- 32. = = = See-Artikel.
- 33. = = = Rang-Edict.
- 34. = = = Duell-Edict.
- 35. = = = Additamenta.
- 36. = = = Muster-Ordnung.

Im Andern Theil.

- 37. Churf. Pfälzisches Krieges-Recht.
- 38. Fürstl. Braunschweig Lüneburg. Hannoverischer Artikels-Brief.
- 39. = = = Zellischer Artikels-Brief.
- 40. = = = Johann Fridrichs Verordnung.
wie die Infanterie zu üben und zu unterweisen.
- 41. Artikels Brief der Reichs-Völker.
- 42. Verordnung/wornach sich die Reichs-Völker zu richten.
- 43. Fürstl. Württenb. Artikels-Brief.
- 44. = = = Beschreibung/wie der Musketirer sein Gewehr präsentieren / laden/ und schiessen soll.

45. Fürstl. Hessischer Artickels-Brief der Reuter.
 46. Fürstl. Hessischer Artickels-Brieff der Fuß-Völcker.
 47. = der Connestabeln.
 48. Fürstl. Sachs. Weymar. Reuterbestall. und Artickel-Brief.
 49. Holländisch Krieges-Recht oder Artickels Brief / mit Petri Pappi Anmerckungen.
 50 Extract derer Artickeln/ so aus Käys. Caroli V. Peinl. Hals-Gerichts Ordnung in annotationibus Pet. Pappi citiret werden.
 51. Löblicher Stadt Zürich Krieges-Artickel.
 52 Formirung eines Peinl. Krieges-Gerichts.
 53. Militarische Practica oder Krieges-Ordnung/ so in Be- stungen/ Städten/ und Feldlägern zu gebrauchen.
 54. Militarischer Practica anderer Theil/ wie sich ein jeder im exerciren / convoyiren/ cognosciren / approchi- ren &c. zu verhalten.
 55. Krieges Ordre jetzt regierender Sr. Königl. Majestät von Groß-Brittannien &c. in den vereinigten Nieder- Landen ergangen.
 56. Articuls Brieff Herzogs von Hollstein Herrn Christian-Albrechts.
- §.37. Peculiarem Juris divisionem fovet Clapma-
 riūs, qui lib. IV. de Arcanis rerum publ. cap. 1. ita sibi
 invicem jura subordinat, nempe (1) ponit Jus Naturæ,
 quod putat, corrigi à Jure Gentium, (2) Jus Gentium
 corrigi debet à Jure Militari, (3) Jus Militare à Jure lega-
 tionis (4) Jus Legationis à Jure Civili. Ita hoc jus (per-
 git dicere) (5) Civile iterum corrigitur, sibique frænum
 veluti injici patitur, a Jure, quod appello Regni, vel do-
 mina-

minationis, cuius naturam describit Cicero, *in Orat. pro Rabirio his verbis* : Regum autem sunt hæc imperia: Animadverte, & dicto pare, &, præter rogitatum, si querare, & illæ minæ : Si te secundo lumine hic offendero, moriere, juxta illum Versum:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

§. 38. Joh. Fridericus Husanus *de Hominibus propriis cap. I. n. 5.* Jus Gentium ex duobus capitibus constare statuit, nempe Res dividere, & Punire fontes,

CAPUT. V.

De Jure Civili speciali, cæterisque quatuor libertatis humanæ limitationibus, generaliter indicatis.

§. 1.

IN quinto gradu cogitur libertas per Jus Civile speciale, quod in Jure Saxonico vocatur Weichbild ; Cum enim in uno Regno ampliori, ubi Jus Civile Generale obtinebat, plures Republicæ aut Civitates orinentur, nova quoque lata sunt jura, libertatem relictam quinto quasi gradu coarctantia.

§. 2. Hoc jus vocari potest municipale. Stadt-Recht.

§. 3. In Civitatibus his porro diversa orta sunt corpora & Collegia. e. g. Opificum, Mercatorum &c. qui pecu-

peculiaria condiderunt statuta, quibus collegarum libertas in sexto coërcebatur gradu.

§. 4. Insuper in Collegiis Patres familiarum familia constituerè jura, & libertatem suorum septimo quæsi gradu limitare possunt.

§. 5. Denique quilibet suam ipsius libertatem, octavo gradu restringere potest, nempe per Votum aut Pollicitationem, per Constitutum, aut etiam per quodlibet Pactum.

CAPUT VI.

De Jure Statutario, sive Jure Collegiorum.

§. 1.

SExtum juris gradum Jura collegiorum sive statutariorum constituere, supra dictum est, quando scil. societas aliqua sive Collegium, quod etiam corpus vocatur, quædam a Juribus præcedentibus relicta determinat, & vel præcipit, vel prohibet, quæ jura communiter vel statuta, vel etiam articuli vocantur.

§. 2. Collegia vel à magistratu constituuntur, vel à sodalibus sponte convenientibus instituuntur; & ita secundus Romanorum Rex, Numa Pompilius, septem instituit Collegia, quorum primum erat Sacrorum ministrorum seu Curionum, qui publice pro suis curialibus rem divinam faciebant. *Dion. Halic. Rom. antiqu. Lib. II. c. 8.*

§. 3. Secundum erat Flaminum, quos Græci

D

εποια-

τεφανοφόρες, à gestatione pileorum & insularum ita vocarunt.

§. 4. Tertium erat Tribunorum Celerum, qui equites & pedites erant, Regibusque ad bellum proficisciensibus satellitum & custodum loco erant.

§. 5. Quartum erat Augurum, qui signa divinitus immissa interpretabantur.

§. 6. Quintum Virginum Vestalium, quæ Deæ suæ sacra faciebant, & ignem in templo Vestæ custodiebant.

§. 7. Sextum Saliorum seu Agonalium, qui erant XII. juvenes, fortuna & virtute longe omnium præstantissimi, quorum sacra erant in Palatio, ipsique Palatini propterea appellabantur.

§. 8. Septimum erat Fecialium, viri ex nobilissimis familiis delecti, toto vitæ curriculo sacerdotium exercentes, de quibus plura cap. IV.

§. 9. Collegium, quod à sponte convenientibus instituitur, fuisse videtur illud plebejum, quod Tribunos plebis eligebat, qui Plebiscita fecerunt; talia nimirum jura, quæ plebem obligarent; Postquam vero Plebiscita Lege Hortensia Legis auctoritatem acceperunt, Senatores quoque & Patritios obligarunt, L. 2. §. 8. ff. de Orig. Jur.

§. 10. Collegii Sodalibus Lege XII. Tabb. potestas legem vel pactionem, quam velint, sibi ferre: concessa est, dum ne quid ex lege publica corrumpant. L. 4. ff. de Colleg. & corporibus. Et ejusmodi collegiis competit aliqua jurisdictio per l. ult. C. de Jurisd. omn. Jud. Albertus Galeottus in aurea margar. cap. XLI. n. 1.

§. 11. Legem hanc in Legibus XII. Tabb. contem tam

tam Gajus in dicta lege 4. ex Solonis lege translatam esse testatur. Solonis lex autem talis est: εὰν δὲ δῆμος, Φρατῆρες, ηγέροις ἀρρών, οὐκίται, η σύνταγμα, η οικάρχοις, η Σιαστῶται, η ἐπὶ λιαν οἰχώμενοι, η εἴς ἐμπορίαν ὅτι ἀν τάτων, διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον ἔται, εὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. i. e. Si autem plebs, vel fratres, vel sacramentales, vel nautæ, vel confrumentales, vel qui in eodem sepulcro sepeliuntur, vel sodales, qui & multum simul habitantes sunt, enimvero ad negotiationem, aut quid aliud, quicquid hi disponunt ad invicem, firmum sit, nisi hoc publicæ leges prohibuerint.

§. 12. Collegia dividuntur in licita & illicita. Illicita sunt, quæ non ex SCti auctoritate vel Cæsaris coierint, & propterea Mandatis, & Constitutionibus, & SCtis dissolvuntur L. 3. pr. & §. 1. ff. de Colleg. & corporib. L. 1. pr. ff. quod cujusque univers. nom.

§. 13. Statuta Collegiorum non debent esse contra leges. Hinc non valet statutum opificum, quo prohibent, ne, quod unus cœpit, alter perficiat. Carpz. Jurispr. Forens. P. 2 Const. 4. def. 91.

§. 14. Tarquinius Superbus, septimus Romanorum Rex, primus fuit, qui cœtus omnes Paganorum Curialium & Vicinorum, qui ante fieri solebant, vel in urbe, vel in agris, sacrorum & sacrificiorum causa, & ne omnes simul hæc peragerent, edicto vetuit, ne in unum locum cœuntes multi inter se occulta de evertenda tyrannide consilia inirent. Dion. Halicarn. Lib. IV. c. 6.

§. 15. Alia plura Edicta, Senatus-Consulta, & Leges, quibus Collegia prohibentur, & dissolvuntur, collegit & recensuit Barnabas Brissonius Antiqu. L. 1. cap.

14. addatur *Cujac. Lib. VII. observat. 30.* & Sprengerij fragmenta Jurispublici illustria cap. 8 p. 185.

§. 16. Huc etiam referri possunt Societas, & Societatis contractus.

CAPUT. VII.

De Jure Familiæ.

§. 1.

Jura familiæ in septimo quasi gradu domesticorum limitant libertatem. Pater familias enim non tantum jure Naturæ, & Divino, sed etiam humano, videlicet Gentium & Civili, leges uxori, liberis, servis & ancillis, interdum etiam inquilinis & hospitibus præscribere potest.

§. 2. Uxorem post lapsum, & sic jure Divino positivo marito subjectam esse legimus *Gen. III. 16. 2. Cor. XIV. 34. 1. Tim. II. 12.* Hinc Sarah Abrahamum suum profitetur Dominum. *Gen. XXIX. 12.* cuius exemplum uxores Christianorum imitari jubet Petrus 1. *Ep. II. 6.*

§. 3. Persarum Rex Ahasverus, ex consilio suorum prudentum, edicto potestatem maritorum in uxores confirmat. *Esther I. 20. 22.*

§. 4. Deus T. O. M. *Num. XXX. 9.* uxorum vota maritorum arbitrio subjicit, nec aliter valida declarat, nisi vel expresse, vel tacite consentiant mariti.

§. 5. Canones quoque uxorem viro subditam esse statuunt. *Can. femina. XXX. quest. 5. Canon. Est ordo & seqq. XXXIII. quest. 5.* quia maritus est caput & Dominus uxoris. *Can. Hic imago. XXXIII. quest. 5.*

§. 6. Jus parentum in liberos juris Naturalis est, & in

in statu integritatis quoque observari debuisset. Liberos enim parentibus, & præcipue parere debere Patri, gratitudo postulat. Hinc Seneca *de Benef.* cap. 20. libro 6. Non vides, *inquit*, quemadmodum teneram liberorum infantiam Parentes ad salubrium rerum patientiam cogant, flentium corpora, & repugnantium cura diligentí fovent, & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, exhibito honore nolentibus &c. Unde sæpius apud eum ingrati audiunt, qui debitam Parentibus reverentiam non præstant liberi. *Vid. Sharrockius de offic. sec. Jus Nat. cap. V. n. 9. §. 1.*

§. 7. Divino & quidem quarto (vel quinto) Decalogi præcepto liberis, ut parentibus obsequium præstent, injungitur. *Exod. XXII. Deut. V. 16. It. Lev. XIX. 3.* simulque præmium morigeris promittitur. *Ephes. VI. 2.*

§. 8. Deus quoque laudat Rechabitas, quod leges à Patre Jonadabo præscriptas (ne vel ipsi vel uxores & liberi ipsorum vinum biberent, ne ædes exstruerent, ne semina agris committerent, ne vineas plantarent, & ut in tentaculis habitarent) sancte observaverint. Et propterea posteris ejus singularem promittit remunerationem, *Jer. XXXV. 6. 8. 18.*

§. 9. Deus quoque liberorum vota, nisi pater, in cuius potestate sunt, rata habeat, non agnoscit, *Num. XXX. 4. 5. seqq.*

§. 10. Jure civili stabilitur potestas Patris in liberos, unde Dionys. Halicarnasseus *Lib. VIII. c. 13.* apud Romanos, *inquit*, filii, patribus adhuc viventibus, nihil possident, sed & ipsis pecuniis & corporibus filiorum Patribus arbitratu suo uti permisum est.

§. II.

§. II. Legibus XII. Tabb. ita statuitur: Utī, qui ex Patre Matreque familias ejus nasceretur, in patrisfamilias sui manu, potestate, mancipioque erit; habereque Paterfamilias jus in eum vitæ ac necis, terque filium venundandi potestatem. At si ter filium venundarit, filius à Patre liber esto. Utique filia, cæterique liberi, una mancipatione liberarentur.

§. 12. Licet autem postea jus hoc patriū maxime fuerit limitatum, præcipue tit. Cod. de emend. propinqv. quatuordecim nihilominus patriæ potestatis effectus relicti, & legibus stabiliti sunt, dum nempe

- I. Pater & filius habentur pro una persona §. 4. Inst. de inut. Stip. leg. fin. Cod. de impub. & aliis subst. leg. 16. ff. de furtis.
- II. Pater filio in Testamento pupillariter substituere potest, princ. Inst. de pupill. subst. & l. 21. princ. ff. de pupill. & Vulgari subst.
- III. Pater filium vindicare potest leg. 1. §. 2. ff. de R. V.
- IV. Pater filio tutorem testamento constituere potest, §. 3. Inst. de Tutel.
- V. Pater ad exhibendum agere potest. Leg. 1. ff. de Lib. exhib.
- VI. Filius Patri suo heres est, §. 2. Inst. de hered. qualit. & differ:
- VII. Inter Patrem & filium nulla est lis. L. 4. ff. de Judic.
- VIII. Filius sine Patris consensu nuptias contr. here nequit. princ. Inst. de nupt.
- IX. Filius mutuum contrahere non potest. L. 1. ff. de SCto Maced.
- X. Filius Patrem non potest vocare in jus L. 4. §. 1. ff. de in jus Voc. XI. In-

XI. Inter Patrem & filium nulla consistit obligatio. §. 6.

Inst. de inut. stipul.

XII. Nec etiam donatio. l. 11. ff. de Donat.

XIII. Filius familias non potest facere testamentum. princ.

Inst. Quibus non est perm. fac. test.

XIV. Pater in peculio filii profectio acquirit proprietatem, in adventitio vero solummodo usumfructum.

Inst. per quas pers. cuique acquir.

§. 13. Possessiones & dominia agrorum, aliarumque rerum, præcipue jure Gentium generali acquisiverunt. §. 41. *Inst. de Rer. div.* Res enim, quæ nullius fuerunt, cesserunt occupanti; §. 12. 18. & 22. *Inst. de Rer. Div.* Item, quæ per alluvionem accrescunt s. 20. *Inst. de Rer. div.* vel, si Insula in mari nata occupetur, aut in flumine prope ripam nostram nascatur. §. 22. *Inst. eod.*

§. 14. Aliquæ enim res etiam acquiruntur jure Gentium speciali. §. 17. *Inst. de Rer. divis.* aliquæ verò jure Civilis, nempe per usucacionem pr. *Inst. de usucap. ff. de Usurpat.* & *usucap. Cod. Commun. de usucap.* item per Præscriptionem *Cod. de Præscript. Long. temp. X. vel XX. annor.*

§. 15. Multa etiam per contractus, tam juris Gentium, quam juris Civilis, ut per stipulationem, item per Donationes, hereditates, ex testamento, & ab intestato, vel per matrimonia &c. acquiruntur.

§. 16. Servos & ancillas acquisiverunt plerumque jure Gentium speciali sive feciali. §. 2. *Inst. de Jur. Person.* & §. 17. *Inst. de Rer. div.* Interdum tamen etiam jure Gentium generali L. 5. §. 2. ff. de capt. & postlim. saepe etiam jure Civili per §. 4 *Inst. de Jur. pers.*

§. 17. Hinc in LL. XII. Tabb. plena de liberis, servis,

vis, & reliquis bonis concessa est Patribus familias disponendi libertas. Paterfamilias enim uti legassit, super pecunia, tutelave suæ rei, ita jus esto. *L. 53. ff. de V. S. princ. Instit. de Leg. Falcid.*

§. 18. Justinianus in *Nov. XXII. cap. 2* idem jus repetit & confirmat, *Disponat, inquiens, unusquisque super suis, ut dignum est, & sit lex ejus voluntas.* Sicut & antiquissima nobis lex, & prima pene Reipublicæ Romano-rum disponens, ait, (*dicimus autem XII. Tabularum*) secundum antiquam & patriam linguam ita dicens: **UTI LEGASSIT QUISQUE DE SUA RE, ITA JUS ESTO.** Nulla valente citra illius voluntatem, nec si sacram impetrat formam, nec si quidpiam aliud omnium, aliquid aliter disponere in rebus alienis.

§. 19. Tantæ auctoritatis fuit etiam ultima alicujus dispositio, ut si testamentum jure sit factum, & heres sit capax, ne quidem auctoritate Rescripti Principis rescindi queat *L. 10. C. de Testam. vid. Rithersbus. ad Nov. P. 6. cap. 1. n. 1. ffq.*

§. 20. Quamobrem Marinus Freccia in *Comment. Feud. lib. 1. cap. 4. num. 39.* & 40. dicit: quemlibet rusticum in sua domo esse Regem: ibique lepidam de Richardo Angliae Rege narrat historiam, cui rusticus, cum in domo sua ipsi obtemperare detrectaret, alapam inflixit, dicens: *nescisne tu, quod quilibet Rex in domo sua.*

§. 21. In Sina Patres familiarum absolutam in liberos & pellices, nec non bona sua habent potestatem, adeo ut post mortem patrum etiam liberi ipsos colere, ac variis modis honorem iis exhibere teneantur. *Louys le Conte P. 2. ep. 1. p. 31. 32. 33.*

CA-

CAPUT VIII.

De Votis, Pollicatione, Constituto, Pactis, &c.

§. 1.

Tandem octavo quasi gradu libertati frenum injicitur per Vota singularia, Pollicationes, Constituta, & Pacta.

§. 2. Vota sunt spontaneæ, ob causam aliquam Deo vel Principi factæ promissiones, ad aliquid vel faciendum vel omittendum.

§. 3. Vota sunt vel absoluta, vel restricta. Illa à personis suæ potestatis, nempe patribus familiarum, pueribus, viduis & fœminis, nulli subjectis, fiunt, quæ absolute, si de rebus licitis fuerint concepta, obligant. *Lev. XXVII. 2. Num. VI. & XXX. 3. 10. Deut. XXIII. 21. 23.*

§. 4. Vovere est voluntarium, sed implere necesarium. *Cap. licet. 6. X. de Vot. & Moses. Deut. XXIII. 22.* dicit: Si votum intermittis, non peccas; Si vero vovisti, præstare teneris domino Deo tuo, secundum votum oristui. Hinc sæpe in S. Scriptura mentionentur homines, ut vota impleant: velut *Pf. L. 14. & Pf. LXI. 9. Ecclesiast. V. 4.*

§. 5. Voti absoluti insigne exemplum suppeditat nobis Jephtha, qui Deo, si victoriam ipsi in Amonitas concederet, id quod reduci ex ædibus egrediens obviandum venturum fit, voto consecravit, ut holocaustum fieret, *Judic. XI. vs. 30. 31.*

§. 6. Quamvis autem Deus devotum hominem, qui Idolis sacrificaverat *Exod. XXII. 20.* tanquam sanctifi-

E simani

simam rem, non redimi, sed interfici juss erat, *Levit.* XXVII. 29. salvā tamen conscientia Jephtha pater filiam suam insontem dimittere, ejusque loco pecus sacrificare potuisset, exemplo Abrahāmi, *Gen.* XXII. 13. Deus enim T. O. M. similiter primigeniorum sibi consecratōrum redēptionēm praeceperat *Exod.* XIII. v. 2. & 13. cap XXXIV. v. 20.

§. 7. Vota Principi facta itidem efficaciter obligant, juxta *L. un. C. de Oblat. vot. Lib. XII. tit. 49.* qualia vota circa exordium novi anni fieri solebant juxta *L. 233. §. 1. ff. de V. S.*

§. 8. Vota restricta faciebant uxores, filii, & filiae familias, servi, & ancillæ, quibus efficaciter vovere absque consensu Mariti, Patris vel Domini haut licitum erat, per *L. 2. §. 1. ff. de pollicit.* Si vero pater vel maritus tacendo consentiebat, etiam tenebantur, juxta *Num. XXX 4, 5. seqq.*

§. 9. Exemplum voti restricti præbet nobis Hanna, Samuelis Prophetæ mater, quæ incio marito Elkana, filium nondum conceptrum, quem postea etiam, cum natus & ablactatus esset, Deo obtulit: maritus enim non tantum verbis *1. Sam. 1. 23.* sed etiam re hoc votum confirmavit, *v. 24.*

§. 10. Huc etiam quodammodo referri possunt pupilli, qui sub potestate tutorum sunt, & propterea sine consensu tutorum efficaciter contrahere vel vovere nequeunt.

§. 11. Pollicitatio est promissio spontanea Reipublicæ facta, ad pecuniam dandam, vel ad opus aliquod faciendum: & ideo vocatur Constitutum *L. 3. pr. ff. de Pollicit.*

§. 12.

§. 12. Pollicitatio neque consensus, neque pactum, neque conventio est. *Gothofredus ad d. L. 3. pr. lit. l.*

§. 13. Non semper autem obligatur aliquis, qui pollitus est; si vero ob honorem sibi decretum sive decernendum, vel ob aliam justam caussam, tenetur ex polllicitatione; si vero sine caussæ promiserit, non erit obligatus *L. 1. §. 1. ff. de Pollicit.*

§. 14. Si autem aliquis sine caussa quidem promisit, cœperit tamen facere, obligatus est ideo, quia cœpit. Coepisse autem videtur, si fundamenta jecit, vel si apparatum, sive impensam in publico posuit. &c. *d.L.1. §. 1. & 3. ff. de pollicit.*

§. 15. Constitutum est pactum legitimum (impropriæ tamen sic dictum) quo quis sine stipulatione aliquid promittit.

16. Constituitur autem vel dos, vel debitum, sive proprium, sive alienum, quorum utrumque vocatur *Constituta pecunia, tot. tit. ff. de Constitut. pecunia.*

§. 17. Promissionis debiti alieni egregium exemplum habetur in epistola Pauli *ad Philem. v. 18. 19.* ubi Paulus debitum Onesimi solvere constituit.

§. 18. Dos constituta vocatur, quæ ab aliquo, etiam extraneo, promittitur, quamvis Doctores ejusmodi promissionem impropriè dotem dici putent.

§. 19. Porro quoque huc referri possunt donaciones, quæ sunt pacta legitima, quâ quis ex mera liberalitate aliquid dare promittit.

§. 20. Denique quodammodo ad hanc classem restrictionis referri possunt stipulationes, quando quis alteri stipulanti aliquid, vel dare, vel facere promittit.

§. 21. Item sponsiones, quæ, si honestæ fuerint, et jam jure Civili obligant. *Philippi usu Pract. Instit. lib. 3. Eclog. 48. n. 4. seqq.*

CAPUT IX. De AÆQUITATE.

§. 1.

Cum sæpè summum Jus summa sit injuria ; merito aliquid de æquitate , quâ summum Jus temperatur, dicendum est.

§. 2. Ideo JCtus Modestinus L. 25. ff. de LL. scribit ; Nulla legis ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, ea nos duriore interpretatione , contra ipsorum commoda producamus ad severitatem.

§. 3. Ipsum Jus quoque (hoc est , Jurisprudentia) Ars boni & æqui vocatur L. i. princ. ff. de Just. & Jur. atque quod æquum & bonum est, jus dicitur, ut est Jus Naturale. Per L. II. pr. ff. eod. hinc si quis sine dolo malo impeditus in judicio secundum suam promissionem non stetit, æquissimum est, ei tribui exceptionem L. 2. §. 1. ff. si quis caution. Jud. sist.

§. 4. Ita si Mevius & Gajum & Titium mutuam pecuniam rogaverit , & Gajus suum debitorem Mevio promittere juss erit. Mevius stipulatus fit, cum putaret eum Titii debitorem esse , dubitatur, an Titius Gajo obligatus sit ? quia nullum cum eo negotium contraxit. Quia tamen pecunia Titii ad Gajum pervenit, illam Titio à Gajo reddi æquum & bonum est L. 32. ff. de Reb. cred. & si certum petatur. His verbis humaniorem & beni-

benigniorem juris interpretationem, quæ Græcis
Eπιειμία dicitur, significari, scribit Briffonius in Lex. Ju-
rid. Lib. 1. columnæ 24. n. 40.

§. 5. In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est. Ita Deus T. O. M. ipse juris rigorem aequitate temperavit, & illos, qui sanguinem huma-
num effuderunt, necandos quidem præcepit, *Gen. IX.*
v. 6. Exod. XXI. v. 12, 14. Num. XXXV. v. 16. ad 21.
Ast sequenti *versu 22. seqq. Exod. XXI. 13.* homici-
dium casuale non ita puniendum, sed eum, qui non
dolo, verum præter intentionem interfecit hominem,
defendendum esse jubet. Ideoque iudicibus diligen-
tem inquisitionem injungit. *Deuter. XIII. v. 14.*

§. 6. Misericordissimum Numen Prophetæ Jonæ,
Ninivitarum extirpationem juxta rigorem Juris urgen-
ti, aequitatem commendat *Jon. IV. 3. & 4.* Et eundem
subitanea pulcræ cucurbitæ creatione, & celeri ejus-
dem torrefactione convincit ac reprehendit. *dict. cap. IV.*
6. & seq.

§. 7. Divus Antoninus Imperator Martio avito Præ-
tori rescripsit. Etsi nihil facile mutandum est ex solem-
nitatibus; tamen ubi aequitas evidens poscit, subvenien-
dum est. *L. 7. pr. ff. de integr. restitut.*

§. 8. Si etiam fraus ab aduersario intervenerit, suc-
curri oportebit, & boni prætoris est, potius restituere li-
tem, ut & ratio & aequitas postulabit. *d. L. 7. pr. ff. de re-
stit. in integr.*

§. 9. Plerumque etiam sub auctoritate Juris Scientiæ
in quæstionibus de bono & aequo perniciose erratur, in-
quit, Celsus. teste Paulo *l. 19 §. 3. ff. de Verb. obl.*

E 3.

§. 10.

§. 10. In jure duplex occurrit æquitas, nempe naturalis & civilis ; illa naturali ratione hominum mentibus insita, l. 1. pr. ff. de pact. Hinc prætor ob naturalem æquitatem edictum de minoribus 25. annis, si circumscripti fuerint, restituendis proposuit. L. 1. p. 2. ff. de minor. XXV. annis.

§. 11. Naturali quoque æquitate introductum est jus postliminii, ut, qui per injuriam ab extraneis detineatur, is, ubi in fines suos rediisset, pristinum jus suum recipere potest. L. 1. 19. pr. ff. de Captiv. & postlim.

§. 12. Civilis æquitas ex Civilibus præceptis æstimanda, & Civilem producit actionem. Hinc si dolo male ejus, qui liber esse jussus erit, hereditas fuerit expilata, heres in eum intra annum utilem dupli actionem instituere potest.

§. 13. Ethæc actio (ut Labeo scripsit) naturalem potius in se, quam civilem habet æquitatem, si quidem civilis deficit actio. Sed natura æquum est, non esse impunitum eum, qui hac spe audacior factus est, l. 1. pr. & §. 1. ff. Si is, qui testam. liber esse juss.

§. 14. Servius Sulpitius vel eo præcipue nomine à Cicerone laudatur, quod jus Civile nunquam ab æquitate se junxit, cuius admirabilis ac incredibilis, & penne divina ejus in Legibus interpretandis æquitate explicanda scientia. Omnes, pergit Cicero, ex omni ætate, qui in hac civitate intelligentiam juris haberunt, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpitio non sunt comparandi. Neque enim ille magis JCtus, quam justitiae fuit. Ita, quæ proficisciabantur à Legibus & à Jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat. Neque instituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. Cicero in Philippi. IX.

CAP.

CAPUT. X.

De Jure positivo, ejusque divisione,
 & in specie de illo, quod ante
 lapsum protoplastis
 datum fuit.

§. 1.

Jura positiva commode dividii possunt in ea, quæ ante lapsum, & post lapsum data sunt.

§. 2. Illa quæ ante lapsum fuere, vel expressa sunt,
 vel per conjecturas elici possunt.

§. 3. Expressa inveniuntur præcepta

I. De Sanctificando Sabbatho *Gen. II. 3.*

II. De colendo Deo, ipsique obediendo; unde Eva, cum ad esum fructus prohibiti à serpente invitaretur, respondebat: Deum sibi interdixisse illum esum, *Gen. III. 3.*

III. De Conjugio, & quidem individuo *Gen. I. 27. cap. II. v. 18. 24. & 25. Matib. XIX. 4. seqq. Marc. X. 6. seqq.*

IV. De Monogamia, quæ per eosdem textus probatur, quia Deus unum virum & unam mulierem creavit, eosque ita conjunxit, ut una essent caro.

V. De colendo horto, & consequenter vitando otio, *Gen. II. 15.*

VI. De Abstinentia ab arbore scientiæ boni & malii. *Gen. II. 17. & III. 3. & 4.*

§. 4. Per conjecturam maxime probabilem colligimus.

VII. Sponsalia quadragesimalia ante nuptias servanda esse, nec facile nuptias immediate sponsilibus

libus conjungendas esse, hinc legimus Jacobum Patriarcham septem annos exspectare debuisse, antequam Rachelem despensatam domum duceret *Gen. XIX. 20.* sic quoque Deus per Mosen Israëlitis præcepit, ut illi, qui unam ex captivis fœminis ducere volebant, nuptias per integrum mensem different *Deut. XXI. 10. seqq.* reliquos quoque sponsos certum tempus, antequam sponsas dominum ducerent, exspectare debuisse, patet ex *Deuter. XX. 7. & cap. XXIV. 5. item cap. XXII. 23. & 25.*

CAP. XI.

De Juribus post lapsum latis, & in specie antediluvianis.

§. I.

Post lapsum, & quidem ante diluvium lata sunt sequentia jura

I. De vitando Otio, & strenua virorum laboratione
Gen. III. 17.

§. 2. II. De subjectione mulierum *Gen. III. 16.* Cum enim mulier ante lapsum æqualem potestatem cum viro haberet, à serpente vero seducta, hac potestate abuteretur, & maritum ad edendum de fructu prohibito importunis solicitationibus quasi cogeret, Deus T.O.M. pœnæ loco illa potestate mulieres orbavit, illarumque voluntatem maritis subjecit, *Gen. III. 16.*

§. 3. Non autem in exemplum trahenda sunt, quæ de populis in Insulis Latrunculorum, & quidem, quæ de Mariana perhibent, nempe ibi maritos ab uxoribus regi, & ut molestias evitarent, mulieribus obtemperare cogi
Histoire des Isle Marianes, Caroli le Gobien.

§. 4.

§. 4. III. De vestimentis induendis, & pudendis tegendis. Quia enim protoplasti intempestivo concubitu temperamenta sua corruerant, ut sine scandalo se invicem nudos aspicere non possent, non tantum protoplasti foliis fculneis sua pudenda tegere conati sunt, sed ipse quoq; DEus togas ex pellibus agnorum i-pfis eum in finem dedit, ut imposterum omnes, præsertim puberes, vestiti incederent.

§. 5. IV. De humandis & sepeliendis mortuorum corporibus *Gen. III, 19.* DEus dixit Adamo: *Redeas in humum, unde ortus es. Nam pulvis es, & in pulverem redibis.* Hinc colligunt, hominum defunctorum corpora sepelienda esse.

§. 6. V. De laboribus non declinandis. *Gen. III, 19.* Postquam enim Adamus peccavit, jucundi labores, in horto colendo necessarii, transmutati sunt in molestissimos, agrum maledictum arandi & colendi labores, qui sudorem toto corpore manantem, & saepe male olentem excuterent.

§. 7. VI. De animalibus mundis & immundis, quorum illis tantum vesci, & in sacrificiis uti conjicimus ex *Gen. IV, 2. & 8.*

§. 8 VII. De herbarum & olerum esu. *Gen. III, 18.* Ubi DEus præcepit *terrestribus vesci herbis.* Et ob hanc rationem homines solummodo ruminantibus vesci potuisse animalibus *Levit. XI, 3. 7.* probabile est, quoniam hæ pecudes non, nisi herbis aluntur.

§. 9. VIII. De Sacrificiis offerendis.

§. 10. IX. De certo loco ad sacrificandum destinato, uti colligitur ex *Gen. IV, 4.* ubi legimus: ABE-
LEM adduxisse de primigeniis pecudum suarum. Neces-
F sario

sario igitur certus fuit locus ad quem adducerent sacrificia. Vid. BERTRAM de Rep. Judaica cap. 1. pag. 13. Hinc etiam Cain dicitur *fugatus de facie Dei*. Gen. IV, 14. & 16. id est de loco, ubi Divinum Numen præsens erat.

§. II. X. De certo die sacrificis dicato, qui sine dubio fuit dies Sabbathi, à Deo etiam ante lapsum sanctificati. Nam dict. Cap. IV, 3. legimus: CAINUM & ABELLEM in fine dierum sacrificia sua attulisse. Finis autem dierum seu hebdomadis, procul dubio, est Sabbathum. Vid. laudatus BERTRAM de Rep. jud. p. 15.

§. 12. Quibus XI. addi possunt: Delicta punienda esse, & per præceptum juris Naturæ, suum cuique tribui debere. Per quod non tantum id, quod alteri dare vel facere debemus, sed etiam illud, a quo quis citra injuriam alterius immunis esse nequit, intelligitur.

§. 13. XII. Neminem inauditum condemnari debere. Deus enim justissimus, licet certus de peccato Protoplastorum esset, nihilominus ADAMUM & E-VAM, præviō examine audivit, & postea eos demum condemnavit, Gen. III, 9. & seqq.

§. 14. XIII. Pœnam delictis proportionatam esse debere. Hinc mulier, quia à serpente seducta & decepta, non tantum ipsa graviter deliquerat, & crimen magicum, ac scelus idolatriæ commiserat. 1. Sam. XV, 23. Sed insuper maritum, procul dubio, de fructu vetito commedere tergiverstantem, ut interdictum divinum violaret, importunis solicitationibus commoverat. Gen. III, 16. & 17. jure meritoque graviori pœna, quam vir. Gen. III, 16. 17. &c. affecta fuit.

CAPUT

CAPUT XII.

De Jure Post-Diluviano, & in specie
de septem præceptis Noachicis.

S. I.

JUra Divina, post Diluvium occurrentia, dividuntur à
Judæis in *Jus Gentium & Civile*. Per *Jus Gentium*
intelligunt septem Præcepta, communiter Noachica
dicta, quæ DEus Noacho, ejusque filiis, & per con-
sequens toti humano generi dedit, ac postea per MO-
SEN etiam repetiit.

§. 2. Aliqui putant hæc præcepta Deum A-
DAMO dedisse. Alii verò autumant, NOACHUM illa
per traditionem accepisse, ac filiis suis, eorumq; po-
steris commendasse. *Rabbi Jehuda Ben Samuel in Se-
pher Cazri part. 3. §. 73 & Seder Olam cap. 5. Selde-
nus d. cap. 10.*

§. 3. Omnes quidem in numerum septenarium
conspirant, ipsa tamen præcepta variè proponunt, ut
videre est ex SELDENO de *Jure Nat. & Gent. jux-
ta Disciplinam Hebraeorum. Lib. I. cap. 10.* Ubi ex
JOHANNE FILESACO. *Lib. II. Tit. Mysteria. §. 10.*
hæc allegat; *Neque vero contempendum arbitror, quod
Hebrei Doctores tradunt, si quis Gentium Judaicam re-
ligionem amplecti vellet, variis præceptionibus, & velu-
ti quibusdam gradibus instituebantur, antequam Lex
Mosaica illis explicaretur.*

§. 4. Primum enim illum docebant præcepta fi-
liis NOÆ à DEO data, ut ajunt, quæ erant ejusmo-
di;

F 2

I. Non

-
- I. Non colere *Idola*.
 - II. Benedicere *DEUM*.
 - III. *Cavere ab Incestu*.
 - IV. *Quodvis aliud peccatum carnis vitare*.
 - V. *Non fundere sanguinem humanum*.
 - VI. *Non rapere aliena*.
 - VII. *Non tollere membrum animali viventi*.

§. 5. Præter FILESACUM etiam SELDENUS citat JACOBUM BOULDUCIUM in JOBUM cap. 33. v. 12. ubi laudat JOBI pietatem & observantiam præceptorum divinorum, quæ ante Mosaica scripta ab ipsis rerum initiosis obtinuerant, & eundem in *Lib. de Ecclesia post Legem* cap. 8. Item GILBERDUM GENEBRARDUM Archi Episcopum Aquensem *Chronologie Lib. I.* anno Mundi 1656. Et denique MANASSE BEN-ISRAEL, qui sequentia statuit præcepta, ut traditur in Gemara Sanhedrim, omnes Gentes observare tenentur, quæ idcirco vocata sunt. שׁבָּא בְּנֵי נֹחַ i. e. Septem præcepta filiorum NOACH.

§. 6. Ex his (quemadmodum in *Seder Olam* cap. 5. & apud Rabbi MOSEN in *Juda Hazaqua* legimus) Senna ADAMO data sunt, nimirum, ut abstineant

- I. *Ab idolatria*.
- II. *A Maledictione nominis divini*.
- III. *A Cæde*.
- IV. *Ab adulterio*.
- V. *A furto*.
- VI. *Ut Judices instituerent, quorum esset curare, ut illa præcepta observarentur*.

§. 7. Super hæc NOACHO additum fuit.

VII, Ne

VII. Ne membrum vivo animali amputatum co-
mederent, his verbis: Carnem & sanguinem
ne commedas.

Hæc sunt præcepta, ob quarum violationem, ut ex Scriptura Sacra ibidem in Sanhedrin probatum, etiam Gentes Mundi à DEO punitas constat.

§. 8. Horum Septem præceptorum etiam in Alcorano mentionem fieri, qui Alcoranum legerunt, referunt. Ex his autem præceptis Gen. IX. non nisi duo exprimuntur, nimirum v. 4. Septimum de esu sanguinis, & v. 5. tertium, de homicidio. Prius repetitur Lev. XVII. v. 10. & 15. Deuter. XII, 23. Acto. XV, 20. 29. Posterior, nempe de homicidio vitando, repetitur inter alia in præcepto quinto Decalogi.

§. 9. Tertium ideo de Homicidio expresse datum est, ut simul exprimeretur pœna hujus criminis, nimirum homicidium impostorum non nisi per effusionem sanguinis ab hominibus factam puniri debere.

§. 10. Ante Diluvium nullum homicidium, præter illud à Caino perpetratum, fuisse probabile est; unde etiam, quia DEUS CAINO securitatem promiserat, ejus pœna determinata non fuit. Nec obstat, CAINUM ex mente Rabbinorum & HIERONYMI in Epist. ad Damasonum quest. 1. à LAMECHO, atnepote suo imperfectum fuisse, quia non juxta formatum judicium, sed casu sanguis ejus effusus est.

§. 11. Reliqua præcepta in cæteris Libris Mosaicis occurront, quæ ex eo cognosci possunt, quod non tantum Israëlitæ, sed etiam peregrini sive Profelyti portæ illis obligantur.

§. 12. Primum itaq; de vitanda Idololatria expri-
F 3 mitur

mitur *Exod.* XX, 3. *Deut.* V, 6. & *Levit.* XI, 8. XX, 22. Modus quoque sacrificandi præscribitur Proselytis, quia, qui non legitime DEUM colit, etiam Idololatra est. *Num.* XV, 14, 15, 16, 29, 30. *Acto.* XV, 20. & 29.

§. 13. Secundum de Blasphemia vitanda habetur. *Exod.* XX, 10. *Deut.* V, 11. *Levit.* XXIV, 15, 16.

§. 14. Quartum de Adulterio vitando reperitur in Decalogo. *Exod.* XX, 14. *Deut.* V, 18.

§. 15. Quintum de prohibito Homicidio, & danno dato *Exod.* XX, 13. *Deut.* V, 17. *Levit.* XXIV, 17. & 22. *Deut.* XX, 9.

§. 16. Sextum, nempe de Judicio instituendo indigatur. *Levit.* XXIV, 22. *Deut.* I, 16. XVII, 1. Hinc Paulus ad Romanos XIII, 1. & seqq. expresse dicit, *Nullum esse magistratum, nisi à Deo constitutum.* Ipse Salvator noster, semper benedictus PONTIO PILATO dicenti: *Mibi non loqueris, an nescis, me potestatem habere, te crucifigere & dimittere?* respondit; *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* *Joh.* XIX, 10. & 11. Nemo ergo sibi ipse Judex sit. §. 1. *Inst. Vi bonorum raptor.* L. 12. §. 2. & *Leg.* 13. ff. *Quod Met. caussa.* Plura de his præceptis vid. apud GROTIUM de Jure Belli & Pacis. Lib. I. cap. 1. n. 16. *Sirac.* XVI, 14.

§. 17. Interdum etiam Proselytis æq; ac Israelitis, quod Juris mere ceremonialis est, præcipitur, ut *Exod.* XII, 19. Verum ex vers. 48. patet, Proselytum non, nisi quando circumcisus esset, & Proselytus templi fieret, agnum paschalem comedere potuisse. Interim tamen etiam non circumcisi à pane fermentato, tempore Paschatis, abstinere, & Azymos edere tenebantur.

T A N T U M.



Ko 2230

VB 18

ULB Halle
007 678 614

3



Farbkarte #13



B.I.G.

16
SAMVELIS REYHERI, JC.

ET ANTECESSORIS,
In illustri CHRISTIAN·ALBERTINA
Codicis & Mathematum Professoris, Juridicæ
Facult. h.t. IX. DECANI, &c.

G E N V I N A

JVRIVM

NATURÆ, GENTIUM ac CIVILIUM
PRINCIPIA,

Ex Iympidissimis Verbi Divini fonti-
bus, ac Vasti Juris Romani Oceano,
eiusque Interpretibus derivata,

nec non

Ex Philosophorum, Poëtarum ac
Historicorum monumentis
illustrata,

*Quibus accedunt
aliqua*

De Æquitate, Juris Positivi divisione, Juribus ante lapsum
& post lapsum, ante diluvium latis, unà cum
VII. Præceptis Noachicis.

Kö 2230
KILIAE, Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.
Anno clo 1569.

